



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. X. De Natis Ex Libero Ventre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. X. DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

SUMMARI A.

1. Nati ex libero ventre matrem sequuntur quoad statum.
2. Quoad familiam inspicitur conditio patris.
3. Nati ex libero & serva an patris familiam sequantur.

Hic Tit. unico Cap. constat, euerurque filios ex libera vel libera matre natos, ne in servitutem trahantur. Siquidem partus ventrem sequitur, quod accipit ad statum libertatis, vel servitutis, etiam si pater alterius conditionis sit, *Instit. De ingenuis & l. Partum 7, De rei vindicat.* Uode cum liberi ex matre libera vel libera mea ingenui nascantur, recte hoc textu statuitur, nullo eos quoad statum incommo- do afficiendos esse, nisi lege provinciae, vel municipali, vel consuetudine loci aliter receptum esset, ut liberi patrem, non matrem sequerentur, prout sup. tit. proximo dictum est. Nam certum est, juri communi, quo partus ventrem sequitur, per contrarium statutum loci vel consuetudinem derogari posse, sicut tradunt *Ud. ad l. Omnes populi D. De instit. & iura, & ad c. fin. sup. De consuet.*

2. Dixi, quo ad statum; secus quoad familiam & dignitatem, in quibus patris conditio inspicitur, non matris, ubi scilicet ex legitimo matrimonio liberi nati sunt, per text. in *l. Cum legitima 19, D. De statu hom. juncta ibid. Glos.* Nam si nati sunt extra matrimonium, sequuntur matrem, quoad originem & libertatem, *d. l. Cum legitima l. Vulgo 23, D. eod. t. De statu hom. & l. in fine D. Ad municipal.*

3. Sed quaestio est, cum de jure Canonum inter liberum & servam consistat matrimonium, uti sup. tit. proximo diximus; an liberi ex eo matrimonio nati patris familiam ac dignitatem consequantur. Quod putat Palaeotus in *tract. de Notho spurisquo filius c. 15*, argumento ducto a conjugatis. Nam, inquit, si justum est matrimonium inter servos, certe & justos liberos oriri necesse est. Tales enim filii sunt, quales nuptiae. Sed

rectius contra videtur sentire Hostiensis, in *Summa t. de servit. & servo*, ubi aperte asserit, quod filii servorum suscepti ex legitimo matrimonio, liberi non sunt, nec pro talibus habendi quoad ordines, neque quoad hereditates: adde neque quoad familiam & dignitatem, cum ipsi filii servi sint, utpote ex ancilla sive serva matre nati, *§. servi Instit. De jure person.*

Nec obicit argumentum Palaeotti non enim negatur, ex matrimonio justo nasci justum filium, sed non idcirco semper liberos, nisi cum mater ipsa libera est. Secus, si ipsa ancilla, id est, serva sit, licet pater sit liberae conditionis; eo quod partus ventrem sequatur, ut ante probatum est. Nam cum ipsi servi parentes per matrimonium a servitute non liberentur, *c. 1, sup. tit. prox.* quomodo dicemus liberari filios? & jus auferri domino, quod auctoritate juris habet in filios servae, videlicet ut filius natus ex serva sit etiam servus, *d. §. servi?* Quare ubi mater est serva, sunt & filii servi, licet ex legitimo matrimonio nati; & consequenter patris familiam & dignitatem non consequuntur. E contra est, ubi mater libera est, & pater servus, ut filius pro libero censetur, adeoque quod & hic ad ordines Ecclesiasticos recte admittatur, *c. fin. sup. De servis non ordinan.* Non tamen ob id familiam patris sequitur, cum servi nullam familiam habeant; neque etiam sequitur familiam matris, cum a matre nulla familia descendat, sed est tantummodo finis & principium suae familiae, ut loquitur Jurisc. in *l. Pronuntiatio 195, in fine D. De verb. signif.*

Una exceptio ad hunc textum nostrum traditur, *ex can. Cum multa xv. q. 8*, quo filii ex libera, quam loco uxoris habuit Episcopus, Presbyter, Diaconus, sunt servi Ecclesiae, cujus pater ministerium obivit. Idque in detestationem incontinentiae patris, licet Glossa ibidem dicat hanc exceptionem in diffuetudinem abiisse. Sunt verò & aliae exceptiones, ut videre est in *Glos. Instit. De ingen. & apud Bartol. ad l. Ne distius 20, C. De agricolis & censuris lib. II.*